DE
SERVATORIS APUD JOANNEM
NOTIONE
E VETERIS TESTAMENTI DECRETIS
EXPLANANDA

COMMENTATIONEM EXEGETICAM

SCRIPSIT

atque amplissimi theologorum Argentoratensium ordinis

AUCTORITATE

PRO IMPETRANDIS LICENTIATI THEOLOGIÆ HONORIBUS

die XIX Maji, hora IV

PUBLICE DEFENDET

ÆMILIUS ALFRED WEBER,

ARGENTORATENSIS.

ARGENTORATI,

TYPIS GUSTAVI SILBERMANN.

MDCCCLX.

DE

SERVATORIS APUD JOANNEM

NOTIONE

E VETERIS TESTAMENTI DECRETIS

EXPLANANDA

COMMENTATIONEM EXEGETICAM

SCRIPSIT

atque amplissimi theologorum Argentoratensium ordinis

AUCTORITATE

PRO IMPETRANDIS LICENTIATI THEOLOGIÆ HONORIBUS

die XIX Maji, hora IV

PUBLICÈ DEFENDET

ÆMILIUS ALFRED WEBER,

ARGENTORATENSIS.

ARGENTORATI,

TYPIS GUSTAVI SILBERMANN.

MDCCCLX.

Præside viro summe venerando

EDUARDO REUSS,

solemne examen moderabuntur triumviri doctissimi :

EDUARDUS REUSS,

THEODORUS FRITZ,

ANDREAS JUNG,

SS. Theol. DD. et PP. PP. OO.

DE

SERVATORIS APUD JOANNEM

NOTIONE

E VETERIS TESTAMENTI DECRETIS

EXPLANANDA.

PROŒMIUM.

De Christi Joannei natura divina atque *præexsistentia* quanquam omnes fere, qui nunc vivunt, literarum divinarum interpretes in universum consentiunt, multum tamen adhuc in incerto relinqui, multos fluctuare video in notione *τοῦ λόγου* bene definienda. Dubium enim etiamnunc, quænam sit ejus ad Deum *relatio*? quid habeat cum Patre conjunctum cognatumque? mediumne Deum inter et homines mortales locum obtineat, an Deo Patri *ὁμοούσιος* omnino sit et æqualis? utrum ipse Deus sit an alius? Magnus sane hic locus, neque satis adhuc purgatus : de quo molestum est varias et admodum inter se discrepantes enumerare theologorum sententias. Quid mirum? Scilicet theologiæ Joanneæ ratio quo longius ab illa disciplinæ philosophicæ perfectione *formali* recedit, quæ nihil asperitatis habet, nihil offensionis, nihil eminens, nihil lacunosum, sed undique limata est omnibusque numeris absoluta : eo difficilius intimam auctoris cogitationem ac voluntatem ii videntur elicere posse, qui per omnes libri Joannei partes omnia omnino inter sese connexa esse sumunt et apta.

Quæ tanta dissensio cum ad rem ex omni parte se-

dulo considerandam me excitasset impulissetque, diuturna perscrutatione tum singulorum locorum tum universi theologiæ Joanneæ argumenti, eorumque cum Veteris Testamenti doctrina accurata comparatione eo adductus sum, ut, Arianismi veterisque, ut vocant, rationalismi commentis silentio prætermissis, ne cum iis quidem sentire possim, qui librum Joanneum ex Ecclesiæ lege interpretantur.

Veram autem genuinamque auctoris mentem e Veteris Testamenti de Deo Servatore oraculis erui posse puto. Et longe ii abesse a vero mihi videntur, qui omnino Novi Testamenti scripta sola per se satis perspicua esse judicant, quæ sine literarum apud Hebræos sanctarum adjumento possint explanari. Namque multa disciplinæ Christianæ semina per Veteris Testamenti libros, præsertim vaticinos, ubivis sparsa reperies, adeo ut, si plerique theologi Novum Testamentum Veteris explanationem esse perhibent atque confirmationem, equidem e contrario Vetus Testamentum januam esse Novi fere dicere ausim et interpretem fide dignissimum.

Dicam igitur de Verbo Joanneo, si prius ejuscemodi doctrinam e Veteris Testamenti placitis prodire non solum potuisse, imo ut non prodiret fieri vix potuisse ostendero.

PARS PRIOR.

DE DEI SERVATORIS APUD VETERIS TESTAMENTI SCRIPTORES NOTIONE.

Parum accurata cognitione Veteris Testamenti de summo Numine doctrinam judicant, qui Deum He-

bræorum, quippe immenso cœli spatio ab orbe terræ separatum, cum hominibus ullum commercium habuisse negant: siquidem Jehova Abrahamo (Gen. XII, 7. al.), Isaaco (XII, 24. al.), Jacobo (XXXV, 9. al.), Mosi (Ex. III, 4. al.) nonnullisque præterea (Gen. XX, 3. 1 Sam. III, 21. 1 Reg. III, 5. IX, 2. 2 Par. I, 7. VII, 12) et universo denique populo conspicuus adparuisse traditur (Num. XIV, 14. cf. Lev. IX, 23. 1 Sam. III, 1). Quod plerumque Numinis Angelus (מלאך יהוה) pro ipso Numine inducitur, hoc non magni momenti esse potest: Malach enim, etsi nonnusquam a Deo discerni sejungique videtur, alibi nihilominus (vid. præter alia Jud. XIII, 16. 22) ipsius Numinis est forma sive species conspicua[1]. Neque alia ex mente, si quid judico, ubi in textu Hebraico legitur יהוה aut אלהים aut אדני, in paraphrasibus Chaldaicis poni solet: מימרא די יהוה, Verbum Jehovæ.

Verum enim vero apud Judæos satis mature jam hanc obtinuisse video sententiam: nemini Deum aspicere contigisse, quin statim interiret. Cum autem *et* sacris traderetur in Codicibus, Jehovam nonnunquam hominibus adparuisse, *et* tamen nihilominus invisibilem esse Deum inter omnes constaret, hac de discrepantia scriptorum sacrorum et vulgatæ opinionis ut rationem aliquam inirent theologi: geminam esse in Deo naturam adseverabant, alteram interiorem et occultam (*οὐσίαν*), alteram exteriorem eandemque adspectabilem ac manifestam (מלאך־יהוה, דבר, כבוד, *memra*, *schechina*, *δόξαν*, *πρόσωπον*, *μορφὴν θεοῦ*), cui posterioris tem-

[1] Nescio enim an perperam judicent, qui aliam scriptoris, aliam Manoæ vulgique opinionem fuisse velint.

poris Judæi varietatem Angelorum subjunxisse adeoque substituisse videntur.

Quæ Numinis præsentia cum sub oculorum potissimum et aurium sensum caderet, altera illa Dei natura, quam adspectabilem sive sensibilem dixerim, modo vocis vel sonitus (Ex. XIX, 19. Num. VII, 89. 1 Sam. III, 1, 4, 21. Ps. XVIII, 14. Ps. XIX. Jer. VII, 1. Ez. I, 3), modo luminis aut Angeli specie inducitur (Gen. XXI, 27. XXII, 15. Ex. III, 2. XIV, 19. XIX, 18. XXXI, 21. Lev. X, 2. Num. XI, 1. XXII, 23. Deut. IV, 12. Jud. II, 1. VI, 11. VI, 22. XIII, 3, 20. 1 Reg. XIX, 12. 1 Par. XXI, 16. Ps. CIV, 2. Jer. XXIII, 29. Hab. III, 4, passim). Nec vero sensibus solis, sed etiam animo vel *immediate* percipi solet Jehova, cum hominem impellit ad aliquid aut dicendum aut agendum: quod per Verbum suum (דבר) vel Spiritum (רוח) efficere perhibetur (Ex. XXVIII, 31. Num. XXIV, 2. Neh. III, 3 Jes. LXVIII, 16. Ez. II, 2. III, 14. XI, 1. XL, 5. Zach. IV, 6, passim). Sin quævis revelatio divina Verbi vel Spiritus efficientiæ tribui solebat, multo magis ista revelatio Numinis *κατ᾽ ἐξοχήν*, sc. rerum creatio et conservatio a Verbo divino repetenda erat (Gen. I, 3. Ps. XXXIII, 6).

Sed hæc, quæ modo diximus, omnia ad exteriora spectant, nunc et interiora videamus.

Judaica enim de Deo doctrina hisce potissimum pietatis momentis sive postulatis contineri videtur, ad quæ tanquam ad suos fontes tota illa de summo Numine philosophandi ratio revocari potest: *primo*, Jehovam per universam quidem rerum naturam sua efficientia diffusum atque præsentem esse (id quod et *θεοφάνειαι* et effectus divini Spiritus declarant), sed tamen nun-

quam virtutum divinarum complexionem sive (id quod eodem redit) seipsum adeo in mundum quasi transfudisse, quin simul extra mundum remaneret; *secundo* Numen, licet per se sit infinitum atque universo mundi spatio contineri nequeat (1 Reg. VIII, 27. 2 Par. II, 6. VI, 18), nihilominus tamen personam esse certam certisque finibus cogitatione circumscribendam; Deum *denique* non esse monadem quandam sola mente percipiendam, infœcundam igitur ac sterilem, sed naturam instar hominis variam atque multiplicem, ex qua sola rerum varietates prodire potuerint.

Quæ quidem omnia tum pietatis tum rationis humanæ desideria sententiæ illi de natura Dei *ambigua* subesse non ignoro, neque iis adstipulari possum, qui Judæorum scripta sacra omni philosophiæ laude carere contendunt. Remota vero disputationis subtilitate, ingratum arbitror esse negotium Veteris Testamenti doctrinam ad theologiæ recentioris formulas revocare, quarum ne rudimenta quidem in illa facile reperiuntur. Antiquiores enim Judæorum theologi tantum abest ut Verbum aut Spiritum Domini discrimine *hypostatico* a Deo sejungant, ut tempus deficeret, si locos omnes adferre vellem, qui divinæ efficientiæ nomina promiscue ab iis usurpari docent.

Ut dicam, quod sentio, ne id quidem ad Veteris Testamenti scripta Scholasticorum more interpretanda multum valere existumo, quod theologi Judaici posteriores Novique Testamenti scriptores pro Jehova Angeloque Dei multitudinem Angelorum, eo videlicet consilio, substituerunt, ut Deum sanctissimum ab omni concretione mortali quam longissime removerent.

Utrumque igitur hoc statuendum est: summum Nu-

men, quale in sacris Judæorum scriptis inducitur, *et* hominibus propter naturam suam ambiguam conspici *posse*, *et* reapse a nonnullis *esse* conspectum.

Quo posito atque concesso, de notione Servatoris agam, tanquam naturæ cujusdam inter Deum et homines *mediæ*, ostendamque, vix ulla hujusmodi doctrinæ extare vestigia apud Veteris Testamenti scriptores, quippe quibus hoc unum solummodo persuasum fuerit, Judæos nullum alium habere redemptorem atque servatorem nisi Jehovam, summum gentis Israeliticæ et pastorem et judicem et regem, pristinam imperii gloriam reparaturum (Hos. XI, 9, passim).

Laudantur quidem e Veteris Testamenti libris ut vera de æterno quodam Dei Filio in terras demittendo vaticinia, quibus etiam Novi Testamenti scriptores usi sunt: Gen. III, 15. XII, 2-3. XXII, 18. XXVI, 4. XLIX, 10. Deut. XVIII, 15. 2 Sam. VII, 16. 1 Reg. XI, 39. Ps. II. VIII. XVI. XXII. XL. XLV. LXXII. CX. Hos. III, 4-5. Mich. IV, 1 ss. V, 1 ss. Hagg. II, 2-9. Zach. IX, 9-10. XI, 12-13. XII, 8. XIII, 7. Mal. III, 1, 4. Jes. II, 3-4. VII, 14 ss. IX, 2-6. XI, 1-14. XL, 1-11. LIII. Dan. VII, 13. XIV, 24. Nescio vero an hac oraculorum semideum, ut aiunt, Messiam spectantium tabula eximendi sint loci: Gen. III, 15 (ubi, ni fallor, generatim atque universe de homine draconem ex illo tempore humi reptantem conculcaturo sermo est). Gen. XII, 2-3. XXII, 18. XXVI, 4. XLIX, 10[1] (ubi *personæ* Messiæ nota frustra quæretur).

[1] Veteres interpretes שילה (שֶׁלֹּה) compositum esse statuebant ex שֶׁ i. q. אשר et לה i. q. לו ei, in hanc sententiam: usque dum veniat

Deut. XVIII, 15 (hoc loco vel de Propheta quodam *Mosis simili* Mosisque provinciam munusque suscepturo, vel collective de Prophetis compluribus mentio fit). 2 Sam. VII, 16 (prænunciatur Judæorum in gentiles imperium perpetuaque domus regnatricis dominatio). 1 Reg. XI, 13 (de regno Davidico in integrum restituendo simpliciter agitur, nulla Christi semidei mentione facta). Ps. II (nam v. 12 voc. בַּר si, quod etiamnunc dubium, pro בֵּן positum sit, nonnisi e v. 7 intelligi potest, versus autem 7 ex usu loquendi Semitico interpretandus esse videtur). Ps. VIII (v. 3 : universe de homine Deo paullulum inferiore, nihil de Messia). Ps. XVI (ubi v. 10, teste לְ præfixo, sic reddendus est: non sines sanctum tuum *ad inferos descendere*, id quod videlicet parum convenit cum 1 Petr. III, 19-20. IV, 6). Ps. XXII (infelicis Judæi quiritatio). Ps. XL (nisi forte

is cui sc. debetur sceptrum, i. e. Messias (cf. Ez. XXI, 32.) LXX: τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ. Targum Onkelosi : Messias, cujus est regnum. Alii verbum שילה pacificum, pacificatorem (Messiam aut Salomonem) reddunt. Longe aliter sentit Rosenmullerus (Gen. et Exod., p. 368): « Non est, inquit, sensus : usque dum Messias veniet, sed : usque dum veniret Schiluntem. Etenim cum in itinere populi Israelitici per Arabiæ deserta tribus Juda in castris semper primum locum occupasset (Num. VI, 3-9), atque in movendo castra reliquis tanquam antesignanus præivisset (Num. X, 14), simul atque Schiluntem (oppidum Ephraimitarum ubi tabernaculum sacrum per aliquod tempus statutum erat) perventum esset, cæteræ tribus a Juda discessegrunt, ut quisque terram suam, sorte acceptam, ut Rubenitæ, Gaditæ, aut mox accipiendam, ut reliquæ, occuparent. Schiluntis urbis nomen non uno modo olim scribi solebat, unde magna in codicibus scriptionis adeoque interpretationis diversitas orta est». Alia est recentiorum linguæque Hebraicæ peritissimorum interpretum de hoc loco sententia, qui rectius, ut videtur, in significatione *abstracta* tranquillitatis acquieverunt. At vero, ut concretum sit שילה, quid habet cum semideo commune, quæso?

probanda est vulg. v. 8 interpretatio). Ps. XLV (Psalmista regis sui laudes prosequitur; cf. vv. 9-16). Ps. LXXV et CX (agitur de rege terrestri, vid. LXXV, 9-11. 15-17). Hos. III, 4-5 et Mich. IV, 1 (ubi Deus ipse tanquam Servator inducitur). Mich. V, 1 ss. (poetarum more Davidis regnum ab ejus posteris renovandum divinari videtur). Hagg. II, 6-9 (qui locus nescio quo pacto potuerit ad Christi cujusdam ancipitis significationem detorqueri). Zach. IX, 9-10 (de ipso Numine sermonem esse e v. 14 sequi videtur). Zach. XI, 12 (actio symbolica quales sexcentas in vaticinis Veteris Testamenti libris reperies, Christo semideo neutiquam præsignificato). Zach. XII, 8 (Deus ipse Judæorum futurus est defensor ac patronus, omnesque omnino Judæi instar Davidis reges erunt). Zach. XIII, 7 (de pastore perfidioso divinari perspicuum est ex cap. IX, 16-17). Mal. III, 3-4 (Dominum enim sive Angelum fœderis eundem esse ac Jehovam ex hisce verbis patet: « Angelum meum mittam, qui viam mihi muniat »). Jes. II, 3-4 (idem). Jes. VII, 14 (locus omnium vexatissimus, quem, ratione non habita potissimum vv. VIII, 3-4 et VIII, 18, recte intelligi posse prorsus nego). Jes. XI, 1-5 (hoc loco de homine e gente Davidica oriundo, non de θεανθρώπῳ divinari satis elucet e v. 3). Jes. XL, 1-11 (ubi Deum ipsum Servatoris partes suscepturum esse vaticinatur). Jes. LIII (hunc locum de Jesaia Propheta [1] intelligi voluisse scriptorem v. 11 declarari videtur) necnon postremo e Danielis libro qui huc referuntur loci. Namque *filii hominis* formulam figurate

[1] Recte nihilominus totum hoc Messianum esse contendunt, quicumque Jesaiam Domini *typum* habent.

sumendam esse exinde consequi videtur, quod et dominationes quatuor anteriores bestiis quatuor significatæ sunt. Satis est argumenti v. 27, ubi regnum Domino tribui videmus, quem Deum esse ex locis IV, 2. III, 26. IV, 17 colligere licet.

Unus itaque locus reliquus est (Jes. IX, 2-6), quem isti, qui nobis adversantur, solum specie quadam juris suas in partes detorquent: siquidem inibi de una eademque persona prædicari videtur et hominem (ילד ילד לנו) et vere Deum esse (אבי־עד). Quoniam autem apud populos Semiticos nihil tam vulgatum esset, quam regibus Dei et nomen et prædicata largiri (Ps. XLV, 7-8. Ps. CX, 1, passim): eo ipso judicandi levitatis arguuntur, qui formulæ supra laudatæ nescio quam notionem tribuunt *metaphysicam*[1].

Hisce ex omnibus quæ exposui vaticiniis necessaria quadam ratione concludendum esse videtur: Veteris Testamenti scriptores a notione naturæ cujusdam *præexsistentis* mediumque inter Deum et homines locum obtinentis utique alienos fuisse.

Quænam vero fuerit antiquior Judæorum de reparanda salute doctrina, jamnunc paucis exponam.

Literarum Hebraicarum auctores in ipso Jehova Deo suo quodam modo patefaciendo salutis spem posuisse, sexcentis locis iisdemque indubiis colligi potest, quo-

[1] Criminetur quispiam, me temere vaticinia V. T. scriptis inclusa Messiana negavisse. Sane perperam. Tantum equidem absum (id enim diligenter velim notatum) quin effata Messiana cognoscam, uti non locos tantum singulares (quod placet Hengstenbergio) sed omnino totius V. T. rationem atque indolem Messianam esse defendam. Unum hoc negavi, Deum Servatorem, de quo sexcenties vaticinantur V. T. scriptores, a summo Numine distinguendum esse (Hos. XI, 9. Ps. XXXIX, 6. LX, 13. CVIII, 13, CXVIII, 8, passim).

rum nonnisi laudatissimos excitasse sufficiat. *Ac primum* pastor suorum vocatur Jehova: Ps. XXIII. Jes. XI, 11. Jer. XXXI, 10. XLIII, 11 (quo nomine Jesus apud Joannem seipsum nuncupat, Ev. X, 11, 14, 16). *Deinde*: Jehova est qui populum purificat (Jes. XLIII, 25), sanctificat (Lev. XX, 8) et sapientem reddit (Ps. CXVIII, 27), qui gentem Israeliticam e servitute in libertatem vindicabit, exsolvet, servabit, redimet, sua luce collustrabit (Ex. XIV, 13. Lev. XX, 8. Jud. XV, 18. 1 Par. XI, 14. Neh. IX, 6. Job. XIX, 25. Ps. III, 9. VI, 15. IX, 15. XIII, 6. XIV, 7. XVII, 7. XIX, 15. XX, 6. XXI, 2. XXV, 5. XXVII, 1. XXVIII, 9, 23. XXXI, 2, 17. XXXV, 3. XXXVII, 39-40. XL, 17. XLI, 2. XLII, 6, 12. XLIV, 27. L, 23. LIV, 16. LV, 17. LVII, 4. LX, 13. LXII, 3, 8. LXV, 6. LXVIII, 7, 20-21. LXIX, 14, 30. LXXI, 2, 15. LXXII, 43. LXXVIII, 15. LXXX, 4. LXXXV, 8, 10. LXXXIX, 27. XCI, 16. CVI, 4, 8. CVII, 6. CVIII, 7. CXVIII, 3, 13, 27-29. CXIX, 41, 146, 166, 174. CXXI, 2. CXXX, 7. CXLV, 18, 20. CXLVI, 3. Prov. XX, 22. Jes. IX, 9. XII, 2. XXII, 11. XXV, 9. XXXIII, 22. XLIII, 3, 11. XLIV, 17. XLV, 15, 17, 21. XLVI, 13. XLIX, 26. LX, 2, 16, 19. LXII, 11. LXIII, 1, 8, 19. Jer. III, 23. XIV, 9. XXXI, 7. XXXII, 27. XXXIII, 16. XXXIX, 17. Lam. III, 26. Ez. XXXVI, 29. Dan. III, 17. Hos. I, 7. XI, 9. XIII, 14, passim. Joel. II, 33. Mich. VII, 7. Hab. III, 8, 16 [cf. Luc. II, 38. XXI, 28. Matth. I, 21]. Zeph. III, 17. Zach. IX, 9, 16, passim). Jehova *denique* rex est jamnunc (Ps. XLVII, 9. LV, 20. XCIII, 1. XCVII, 1. CIII, 19, passim. Jes. XXXIII, 22, passim) et futurus omnium gentium Deus (Ps. CXLVI, 10. Jes. XXIV, 23. Mich. IV, 7. Zach. XIV, 9, passim. cf. Jo. XVIII, 37).

Adde Ex. XXIX, 45. Num. XXXV, 34. 1 Reg. VI, 13. Ps. CXXXV, 21. Jes. II, 4. XXXV, 4 (הוא יבוא וישעכם). LXIV, 1. LXVI, 16. Jer. XXIII, 5. Joel III, 21. Mich. IV, 3. Zach. II, 10. IX, 9 (id quod, vv. 14 et X, 6-12 potissimum ratione habita, recte de Jehova dictum accipitur). Mal. III, 1. IV, 5, al. Prætereunda sunt alia innumerabilia, quibus luculenter probari potest, Veteris Testamenti scriptores multo magis in Deo suo aliquando quasi forum acturo, quam in quolibet homine spem salutis posuisse, neque minima vocula de Messia partim divino partim humano (*θεανθρώπῳ*[1]) vaticinatos esse.

Quæ cum ita sint, mirum videtur quo pacto literarum Hebraicarum princeps Gesenius (*Comment. über d. Jes.*, 1 L. 1821, ad 9. 5, p. 365), nonnullique alii contendere potuerint, nihil in Veteris Testamenti libris adeo desiderari quam Jehovæ hominis specie induti notionem. Qui tandem! Nonne Patriarchis, nonne universæ Hebræorum genti adparuisse Deus aperte traditur? Nonne exhibetur Numinis in Tabernaculo sacro præsentia quasi corporea? Num Jud. C. XIII, num cætera hac de re lucidissima dicta e sacro Codice tolli possunt? Quid porro? Ille qui cum luminis, tum ignis, tum nubis, tum ardentis fruticis, tum denique Angeli, atque adeo hominis mortalis (Jud. XIII, 16) speciem induisse traditur, nonne Adamigenæ figuram simulare potuit? præsertim cum filii dilectissimi res ageretur.

Ceterum, spem illam salutis genti Israeliticæ ab ipso

[1] Θεάνθρωπον dico, non Deum humana specie indutum, sed naturam quandam præexsistentem eandemque discrimine hypostatico a Deo distinctam.

Jehova ferendæ pro theologorum in philosophia progressibus paulatim evanuisse facile concesserim. Quin utrumque Veteris Testamenti de salute gentis oraculum, alterum de Deo salutem laturo, alterum de regno Davidico restituendo, sæculorum decursu, multis modis inter se commixtum esse confusumque, necnon denique in unum idemque illud de natura Christi venturi partim humana partim divina placitum coaluisse videtur, ut nihilominus hæc firmiter teneam: *primum*, duo illa vaticinia, ex quibus conflata videtur Messiæ *θεανθρώπου* notio, in Veteris Testamenti libris nonnisi seorsum ac singulatim enunciata deprehendi; *deinde*, id quod longe maximi hac in disputatione momenti esse puto, Judæorum de Deo salutem laturo persuasionem, quippe quam ubivis enunciatam reperias, validiorem etiam fuisse quam exspectationem Messiæ e Davidis stirpe originem ducturi.

At nos nimis multa de re apertissima. Jam enim quomodo quibusque de causis doctrina Messiana Veteris Testamenti rationem in eam Joannis mutarit breviter dicendum est.

Omnino hac de re fluctuasse opinionem, multifariasque de salute reparanda neque inter se convenientes exstitisse sententias ex Evangeliis innotescit synopticis. Namque alii, præsertim doctores Judaici, Messiam venturum describebant hominem, vi a Deo emanata instructum (Prov. VIII, 14-15. Eccl. XLVIII, 10); alii, et imprimis Ebionitæ de plebe, Messiam tanquam merum hominem, singulari tamen auxilio Numinis adjutum, imaginabantur; alii denique Veteris Testamenti de Jehova populum suum salutis causa visitaturo oracula *proprie* adhuc intellexisse videntur (cf.

Luc. I, 76). Neque vero omnibus omnino Judæis communem fuisse opinionem, Messiam hunc e familia Davidis et Bethlehemi quidem oriturum esse, sed varias eos de Christo futuro fovisse opinationes exinde quoque elucescit, quoniam Herodes, auctore Matthæo II, 4 ss., Synedrium magnum convocaverit, ex quo cognosceret, ubinam Messias nasci deberet. Sin inter omnes constitisset, fore, ut Messias hominum more et Bethlehemi quidem nasceretur, non video cur totius Synedrii consultandi opus fuerit (vid. Kuinœl, *Introd. in Ev. Jo.*).

Qua de re sententiarum silva duobus potissimum momentis contineri videtur, quorum alterum *politicum*, alterum *ethicum* sive *mysticum* nominare liceat. Nam alii, reipublicæ servandæ nimis studiosi oraculisque nonnullis, quæ supra laudavi, confidentes, gentis Israeliticæ salutem a viro e Davidis posteris non ita multo post orituro exspectabant (cf. Matth. I, 21. Luc. I, 32); alii pietate ac religione nec non oraculis divinis adducti, horribilem aliquando diem judicii futurum esse credebant, quo boni præmio divino donandi a sceleratis hominibus in omne posterum tempus segregarentur (Jes. XXXIV, 1, ss. LXV, 17. LXVI, 22. Joel III, 17. Mal. III, 2. Dan. VII, 9, ss. Judith XVI, 20, ss. Sap. III, 7. V, 15-24); alii denique vel plurimi utrumque doctrinæ Messianæ typum variis exornatum flosculis in unum conflasse videntur.

Ceterum, quidquid hac de re judicaveris, totum illud minus ad hoc, de quo disputatur. Mihi quidem ad id, quod volui, probandum satis est, si Veteris Testamenti scriptores Joanneæ Dei Servatoris notioni non modo non repugnare, sed potius favere nec non large effuseque disciplinæ Christianæ quasi semina sparsisse

commonstraverim. Unum illud defendi, nec sine causa defendisse videor.

Antiquiorem de Deo doctrinam etsi Judæi, Jesu temporibus, plus minus neglexisse, omniaque pæne *politico* illi de Messia terrestri vaticinio tribuisse videantur, tamen non mireris, nonnullos vel imprimis doctos intelligentesque, defuncto jamdiu Nazareno, Veteris Testamenti de Verbo divino decretum ad naturam Christi theologorum more definiendam adhibuisse. Jesu enim sectatores, cum tantum tanti doctoris errorem ne suspicari quidem possent, nec tamen ejus effata, sicut fuerant ab audientibus accepta, eventu comprobata viderent, exinde non potuere quin a Judæorum spe Messiana magis magisque ad alterum idemque innumeris Veteris Testamenti locis stipatum doctrinæ Messianæ typum deflecterent, sibique persuaderent, perperam adhuc se Domini verba interpretatos fuisse, quippe quæ non proprie, sed πνευματικῶς essent intelligenda (*τὰ ῥήματα ἃ ἐγὼ λελάληκα ὑμῖν, πνεῦμά ἐστι καὶ ζωή ἐστι*, Ev. Jo. VI. 63. *Accedit*, quod Jesus Nazarenus, qui Messiæ munus sibi ipsi esse mandatum e vaticinis potissimum libris intellexisse videtur, iterum atque iterum ad Mosis et Prophetarum scripta de se testantia (Jo. V, 39. X. 35. cf. II. 22. Luc. IV, 17-21. XXIV, 27 passim) provocaverat, imo nonnulla se reticuisse dixerat et occultasse, quæ Spiritus Sanctus postea revelaturus esset (Jo. XVI. 12-14 : *ἐκεῖνος ἐμὲ δοξάσει, ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν*). Quo dilucidius de se Mosen et Prophetas scripsisse dictitaverat, eo confidentius e Veteris Testamenti libris tanquam e fonte describendæ Jesu dignitatis ac vitæ purissimo, sanctissimo, veracissimo hausisse nonnullos videmus,

quos ad scribendum Spiritus impellebat (cf. Matth. II, 15. XII, 17. XIII, 14. XXI, 4. XXVI, 54. 56. Marc. XIV, 49. Luc. IV, 21. Jo. XV, 25. XVII, 12. XVIII, 9. XIX, 28. al.). *Deinde*, quo splendidior Servatoris ab inferis excitati gloria fulgebat, eo certiores de errore suo fiebant discipuli, nec amplius dubitabant, se, specie Prophetæ humana deceptos, Deum præsentem neglexisse : id quod inter alia multa satis declarant, quæ leguntur apud Luc. XXIV, 32 : *Οὐχὶ ἡ καρδία ἡμῶν καιομένη ἦν ἐν ἡμῖν, ὡς ἐλάλει ἡμῖν ἐν τῇ ὁδῷ, ὡς διήνοιγεν ἡμῖν τὰς γραφάς*, siquidem hæc subita necopinataque mutatio formulæ Judæo-Christianæ in Joanneam congressu illo Emmauntino, quasi *δογματικῶς*, illustrari videtur. *Immo*, quo diligentius, ex ipsius Domini præcepto, Scripturæ sacræ de Deo Servatore Patriarchis olim patefacto dicta Prophetarumque oracula perscrutabantur, eo certiores hac in confessione facti sunt : ipsum Jehovam sub specie Jesu Nazareni inter homines versatum esse, sed mundum creatorem suum non agnovisse (*ἐν τῷ κόσμῳ ἦν, καὶ ὁ κόσμος αὐτὸν οὐκ ἔγνω*); ad populum suum, ad familiam suam venisse, sed ab ipsa familia sua repudiatum esse (*εἰς τὰ ἴδια ἦλθε, καὶ οἱ ἴδιοι αὐτὸν οὐ παρέλαβον.* cf. Matth. XIII, 14. Jo. XII, 40-41).

PARS ALTERA.

DE SERVATORE JOANNEO.

Remoto demum, ut ita dicam, velamine a discipulorum oculis, novam illam vel potius antiquiorem de Servatore persuasionem incertus Evangelii quarti auctor primus literis consignasse videtur. Cujus de no-

nomine summa theologorum dissensione certatur. Alii enim, traditionem catholicam secuti, Joannem Apostolum eundem, qui Apocalypseos librum conscripsisse traditur, alii, et nuperrime quidem, Apollonium epistolæ ad Hebræos auctorem (?), alii Joannis discipulum, alii alium Evangelii nostri scriptorem commendavere. Quæstio magna, e qua videlicet omnis certa pendet Jesu historici notitia, siquidem ista sic reciprocantur, ut, in dubium vocata libri auctoritate, tota jaceat ecclesiastica de natura Jesu doctrina. Sin, omnibus probe perpensis, in libro illo, placitis, ut aiunt, seculo secundo subortis referto, nihil prorsus aliud deprehendero, nisi Veteris Testamenti doctrinam, quamvis temporis cultioris ingenium speciemque philosophiæ præ se ferentem, nescio an id ipsum tralaticiæ sententiæ argumento esse possit.

Jam vero non a quo, sed quid de Jesu Servatore scriptum sit quæritur. Quem ad finem, ne quid temere præjudicem, ad Evangelii locos huc spectantes interpretandos transeo.

Quonam sensu Joannes (sic enim, ne sim longior, libri scriptorem vocare placet) vocem *λόγου* adhibuerit, tantopere inter se dissentiunt interpretes, ut tædeat omnium omnia hac de re placita referre. Iis equidem adstipulor, qui vocabulum *λόγου* Hebraico דבר (מימרא. cf. 1 Sam. III, 21 al.) simpliciter respondere putant. Nec non de industria voces *τοῦ ϑεοῦ* omitti videntur: unde pateat, vocabulum, significatione quadam singulari, non Dei orationem, sed *Deum orantem* designare.

Philonis usum loquendi respexisse scriptorem nostrum veri simile est; sed probari quoque posse videtur,

Joannem, qui Jesum tanquam Deum inducere voluit, eodem vocabulo usum esse, quo doctores Judaici Numen manifestatum designare solebant. Hoc ut adfirmem, variis versionum Chaldaicarum locis adducor, quos ex Kuinœlii scripto supra laudato fusius recitare liceat, ut exempla notioni *τοῦ λόγου* constituendæ aptissima: «*Targum Jonathanis*: Jes. XLV, 12: במימרי עבדית ארצא pro verbis Hebraicis עֲשִׂתִי אֶרֶץ. Deut. 1, 30. מימריה positum pro הוא (הוא ילחם לכם). *Onkelosus*: מימריה יגיח לכון. Num. XXIII, 21: Verbum Jehovæ adjuvat illos et Schechina regis illorum est inter eos. *Targum Hierosolymitanum*: Verbum Jehovæ cum illis est et vociferatio et gloria regis illorum protegit illos. *Pseudo-Jonath.*: Verbum Jehovæ, Dei ipsorum, est illis auxilio et jubilum regis Messiæ vociferatur inter illos. (Ex quo loco satis conspicuum est, interpretes Judaicos Verbum Jehovæ et Messiam et Majestatem divinam [Schechinam] pro uno eodemque habuisse). Adde *Targ. Jonath.* locum Jud. VII, 11 ss. ubi, qui versu 11 vocatur « Angelus Dei », is v. 12 et 16 dicitur « Verbum Dei », et v. 13 «Schechina Domini». *Targ. Onkelosi*: Deut. I, 32-33 non credidistis Verbo Jehovæ, Dei vestri, quod ductor fuit coram vobis in via. *Targ. Hierosolymitanum*: Deut. XXVI, 17-18. Verbum Jehovæ regem constituistis super vos hodie, ut sit vobis in Deum. Verbum vero Jehovæ constituit se in regem super vos nomine suo, ut sitis ipsi populus dilectus, veluti peculium. Gen. VII, 16, ubi de Noacho sermo est: *Onkelosus*: et protexit ipsum Deus per Verbum suum. *Jonathan*: et pepercit ipsi Verbum Dei. *Targ. Jonathanis*: Jes. XVI, 1: Asportent dona Messiæ Israelitarum, qui robustus erit, propterea quod iste in deserto fuit rupes ecclesiæ Zionis

Targ. Jonathanis: Num. XXI, 5-7 et cogitavit et locutus est populus contra Verbum Jehovæ et contendit contra Mosen, dicens: quare adscendere fecisti nos ex Ægypto, ut moriamur in deserto? Quare non adest panis et aqua? Propterea immisit Verbum Dei in populum serpentes regulos et momorderunt populum. Et venit populus ad Mosen et dixit: peccavimus, quoniam cogitavimus et locuti sumus contra Schechinam Jehovæ et contra te contendimus.»

Versiones autem Chaldaicæ licet recentioris sint ætatis (Onkelosi paraphrasi, omnium antiquissima, circa annum p. C. N. 300 confecta), recte tamen, ut nonnulli vere judicaverunt theologi, ad antiquiorum etiam Judæorum sententias dignoscendas poterunt adhiberi «cum suarum opinionum Judæi semper fuerint tenacissimi». Ex eo igitur quod Joannes eadem fere quæ Philo de *τῷ λόγῳ* prædicat, non necessario sequitur, scriptorem nostrum notionem *τοῦ λόγου* verbumque ab Alexandrino philosopho mutuatum esse: præsertim cum nihil apud doctiores Judæos tam usitatum fuisse videatur quam Deum manifestatum *Verbum* nuncupare. Quid tandem rei verbique fontem indagantes longius abeamus, longeque repetamus, quod est in promptu?

Verbis *ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος κτλ.* tametsi *præexsistentiam τοῦ λόγου* ante mundum conditum significari (quicquid Crellius Artemonius, cæteri literarum Joannearum tortores hunc in locum commenti sint) inter omnes fere hodie constat interpretes, nihilominus tamen complures iidemque sagacissimi in dubium vocant, imo negant: æternitatem Verbi *metaphysicam* decretum esse Joanneum.

Multis autem gravibusque de causis sententiam mediam proposuit Reussius, perillustris Apostolorum doctrinæ explanator mihique carissimus Magister, qui dogma de Verbo æterno apud Joannem neque expresse doceri nec aperte negari merito et optimo jure hisce verbis defendit : « Tout le monde sait que l'une des thèses fondamentales de la spéculation ecclésiastique, c'est l'idée de l'éternité du Verbe. Depuis que le concile de Nicée en a fait une des pierres angulaires de la théologie catholique, sa décision est restée l'héritage commun de tous les systèmes orthodoxes. *Eh bien ! les écrits de Jean n'en parlent pas.* Ils se bornent à enseigner la préexistence du Verbe dans plusieurs passages très-positifs (chap. III, 13; VI, 62; VIII, 58; XVII, 5, 24; cf. VIII, 14; XII, 4; I, 15, 30), et implicitement, en lui attribuant la création du monde. Mais aucun de ces passages ne nous mène nécessairement au delà de l'idée d'une préexistence relative. *Nulle part il n'est question d'une préexistence absolue ou de l'éternité, bien que nulle part non plus il y ait quelque chose qui exclue cette dernière.* La formule : *il fut au commencement*, ne conduit pas jusque-là. La notion du commencement est par elle-même toujours une notion relative, et comme dans le cas présent elle ne peut pas se rapporter à Dieu, mais uniquement à ce qui est hors de Dieu, c'est-à-dire le monde, la formule en question ne contient rien d'autre que cette simple assertion que le Verbe existait déjà lorsque le monde fut créé ; jusque-là le Verbe ne pouvait donc avoir aucun rapport avec le monde, mais seulement avec Dieu. La formule de l'épître : *celui qui fut dès le commencement*, n'en dit pas davantage et peut-être moins encore, car elle ne

saurait nous faire remonter au delà du commencement, et le commencement est toujours dans le temps. L'éternité, ce serait : *sans commencement*, et cette formule ne se trouve pas dans nos textes.» (*Histoire de la théologie chrétienne au siècle apostolique*, 2 éd., II, p. 438).

Quoniam equidem neutiquam ullius disciplinæ dogmaticæ Novi Testamenti libris obtrudendæ patrocinium susceperim, nec nisi scriptis recte interpretandis studeam, doctrinam de æternitate *τοῦ λόγου* nusquam diserte apud Joannem exhiberi facile largiar. Concedam et hoc, etsi magnam jacturam causæ fecero, nempe contendi posse, tralaticiam primi versus interpunctionem cogitationi scriptoris non plane respondere, legendumque esse : *ΚΑΙ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν, ΚΑΙ θεὸς ἦν. — Ὁ λόγος οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν θεόν*: simul uterque erat, *et* Verbum in Deo, *et* ipse Deus.

At vero, et illo quoque concesso, nescio an tenendum sit hoc alterum, doctrinam de Verbo æterno mere sincereque Joanneam esse.

Etenim *ἐν ἀρχῇ* vel *ἀπ' ἀρχῆς* (1 Jo. I, 1) fuisse Verbum, ex Hebræorum more dictum videtur, qui ita describebant æternitatem, ut dicerent, aliquid fuisse initio, a principio, ante rerum initia, ante mundum conditum (Ps. CX, 2. Prov. VIII, 22 - 23). Sane quidem Joannes, si soli philosophiæ studuisset, dicendi formulam magis idoneam, velut *ἄνευ ἀρχῆς*, usurpasset. Jam vero theologum nostrum de Verbo exponentem Veteris Testamenti scriptorum pedissequum fuisse, exinde quoque elucescit, quod, nulla logices ratione habita, nonnisi formulas Hebraicas בראשית (Gen. I, I), ראשית דרכו (Prov. VIII, 22) vel מראש (ibid. 23) ac-

curate vertendas respexisse videtur (cf. Ev. XVII, 5 = Prov. VIII, 23, מקדמי־ארץ).

At hoc ipsum concedamus: *exsistentiæ* Verbi Joannei initium fuisse ortumque! — Qui fit ut aptissima dicendi formula *ἐν ἀρχῇ ἐγεννήθη ὁ λόγος* apud Joannem frustra quæratur? Si *τὸν λόγον ΓΕΓΟΝΕΝΑΙ* voluerit intelligi, cur tandem *τὸν λόγον ἐν ἀρχῇ ΕΙΝΑΙ* docuit, quæso? Quamobrem haud multo veritatem egredi videtur Bengelius (*Gnomon*, p. 362), dicens: « Nusquam in omni litterarum genere periocha ulla sub sole reperietur, ubi tam studiose differentia servetur verborum *εἰμὶ* et *γίνομαι*, quam Jo. I. Lege ex instituto totum contextum a v. 1 ad 30 et assenseris. » Et ex ipsis quidem jam prologi verbis, quibus *ὁ λόγος ὁ ὢν τοῖς πᾶσι τοῖς δι᾽ αὐτοῦ γεγεννημένοις*, vel, si formula uti licet, *τὸ τὸν λόγον εἶναι τῷ τὸν κόσμον γεγονέναι* tanquam contrario contrarium opponi videtur, satis perspicuum est *τὸν λόγον οὐ μὴ γεγονέναι*, nec non erroneum esse scholion Arianum: *ἦν ὅτε οὐκ ἦν*. Tanta vero tamque firma scriptoris nostri de Verbi æternitate persuasio est, ut, ex more Hebræorum, positionem reassumat, dicens: *οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν θεόν.* « Ita *exsistebat* Verbum ut nulla præterea *exsistentia* præivisset. Ipsum est rerum initium idemque æternum. »

Sed non Ariani modo, verum etiam legis Christianæ studiosi, quos dicunt, theologi vehementer errare mihi videntur, quibus *æternam Filii procreationem* hoc loco tradi placet. Cujusmodi commentum si Joannes in medium proferre voluerit, nescio quo pacto dicendi formulam jam supra desideratam: *ἐν ἀρχῇ ἐγεννήθη*, quasi de industria neglexerit. Præterea utrumque hoc accurate respici velim: *primum* Christum Joanneum,

antequam hominis speciem indueret, solummodo *Verbum*, postea vero non nisi *Filium* appellari; *deinde* idem plane nominis discrimen in Deum quoque cadere, qui versibus locum Ev. I, 14 præcedentibus ὁ θεός, postea plerumque ὁ πατὴρ vocatur. Consulto nimirum id quidem : unde intelligi liceat, Verbum, humana specie nondum assumta, non fuisse *filium* Dei, sed Deum.

Καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν, καὶ ΘΕΟΣ ΗΝ Ὁ ΛΟΓΟΣ. | Quam si Joannis sententiam similitudine illustrare licet, Verbi relationem ad Numen Evangelistam sic animo sibi informasse dixerim, ut utrumque in Deo esse statueret *et* animam invisibilem (*τὸν θεόν, πνεῦμα ὁ θεός, πνεῦμα τοῦ θεοῦ*) *et* speciem adspectabilem. Eadem enim ratione dicam licebit: *τὸ σῶμά ἐστι πρὸς τὸν ἄνθρωπον, καὶ ἄνθρωπός ἐστι τὸ σῶμα*, nec propterea ipse a me dissentiam. Mutatis autem mutandis, omnino Verbi ad Deum Filiique ad Patrem relationem cum corpore animaque jure comparari puto.

Constat enim inter omnes fere qui de natura humana philosophati sunt : *primum* aliud esse corpus, aliud animam; *tum* nihilominus corpus sine anima non esse corpus (*Leib*), sed merum cadaver, neque animam sine sentiendi agendique membris[1] esse vivum quiddam et actuosum; *proinde* utrumque ita inter se conjunctum esse, ut, exanimato corpore, simul et ἡ ψυχὴ vitam suam quasi intermittat (non dico : *amittat*, quoniam ex lege Christiana Deum mortuos ad vitam revocaturum esse certo scio) neque sine anima animanti ulla causa sit cur corpus esse pergat; *ideo* corpus esse animi cogi-

[1] Verbo *membrorum* reddidisse me græcum vocabulum ὄργανου, hoc diligenter intellectum velim, ne *materialismi* reprehensionem capiam.

tantis et sentientis et agentis instrumentum plane necessarium (πάντα [τὰ τοῦ ἀνθρώπου ἔργα] δι᾽ αὐτοῦ), animum autem sive spiritum corporis non moderatorem tantum et rectorem esse, sed etiam *effectorem;* utrumque *denique* corpus et animum uno eodemque principio summo ita contineri, ut qui dicat «corpus humano animo præditum hominem esse», idem prorsus significet ac si hominem « esse animum corpore præditum » definierit; sive, id quod parum latine dicere solent philosophi, corpus et animam esse *correlativa.*

Quam similitudinem a rebus externis repetitam in Christologiam Joanneam rectius intelligendam haud inepte transferri, hoc non solum ex totius Evangelii indole, sed etiam, idque præsertim, ex omni Veteris Testamenti, qualem supra exposui, de summo Numine doctrina satis evidenter apparet. Scilicet anceps illa, qua hominum natura contineri videtur, *exsistendi* ratio, eadem ex opinione veterum inter Judæos theologorum in Deum quoque cadebat, quippe qui Adamum sui similem creasse putabatur. Nil mirum igitur, quod ex imagine bipartita de *archetypo* bipartito conjecturam fecerunt.

Quoniam autem (id quod supra longe disputatum est) theologum nostrum de Christo scribentem Veteris Testamenti de natura Numinis ancipite placitum in prologo saltem respexisse vix dubitari queat, miror equidem, interpretes eosdem alterum pro re comperta habere, מַלְאַךְ־יהוה ipsius Numinis esse πρόσωπον, alterum non vidisse, Verbum quoque Joanneum nil aliud esse nisi Deum corporea specie manifestatum (χαρακτῆρα ὑποστάσεως αὐτοῦ, formam substantiæ divinæ personalem, Hebr. I, 3). Sin quispiam dixerit : inde a primo versu (πρὸς τὸν θεόν, παρὰ τῷ θεῷ) de Verbo ita esse

sermonem, quod ab initio extra Deum *exstitisse* intelligendum sit, nihil est quod expedire tam facile possimus, quandoquidem de מלאך idem prorsus prædicatum legimus (Gen. XXIV, 7. Exod. XXIII, 20. XXXII, 34. Num. XX, 16, passim).

At vero dum contendo, Verbi relationem ad Deum cum ratione corporis ad animam mirifice convenire, nonne ipsius Servatoris effato (IV, 24) diserte refelli videor? — Sane videor. Eo tamen levior in me cadet reprehensio, quo facilius concessero, scriptoribus sacris aliud esse corpus humanum, aliud vel mere spirituale quiddam (1 Cor. XV, 40) tegumentum sive speciem illam, quam Deo tribuisse videntur (*δόξαν, μορφὴν θεοῦ*, Phil. II, 6). *Porro* concedam, *speciem divinam* adeo nihil habere cum materia illa terrena conjunctum, quam epistolæ ad Timotheum prioris auctor lumine *ἀπροσίτῳ* constare doceat, nimirum Veteris Testamenti dictis nonnullis parum accommodate (1 Timoth. VI, 16. cf. Eph. V, 8, 13. Col. I, 12. Jo. I, 4-5. 1 Jo. I, 5). *Quin et* hoc largiar, nihil a scriptoris nostri mente tam valde alienum fuisse, quam recentioris ætatis theosophorum commentum istud de corporea, quam dicunt, Dei natura (*πνεῦμα ὁ θεός*). *Postremo* ne hoc quidem adfirmem, Joannem Verbum, antequam *σὰρξ* fieret, dumtaxat Angelis adspectabile sibi cogitasse: siquidem Logos, ante Christum natum, quasi latuisse nec nisi insolenter speciem adspectabilem induisse videtur [1] (Ev. I, 14. VIII, 42. XVI, 27-28, passim).

Sed hæc minoris momenti. Joannes enim cæterique

[1] Ea est differentia quæ Joannis inter et recentiorum theosophorum doctrinam de *visibilitate* Numinis intercedit.

ejus temporis theosophi qualicumque de natura Dei statuerint modo, nihilominus hoc retinendum est: qualem hominis corpus et animus inter sese præbeant rationem, talem, et ineunte et procedente libro Joanneo, Verbo cum Deo Patre intercedere. Quæ similitudo, si minus ad res inter se conjunctas, tamen mirum in modum ad ipsam rerum conjunctionem ac societatem pertinet. Argumento sit imprimis, quod Verbum quasi corporis vel brachii manusve Dei partes egisse dicitur (Ev. I, 3. cf. Jes. XLI, 20. Jer. XXVII, 5. XXXII, 7). Aliud igitur Verbum Joanneum esse velim, alium Gnosticorum Demiurgum a Deo procreatum, qui, sive contra Dei voluntatem, sive ne Deus otii sui ac beatitatis æternæ jacturam faceret, mundum construxisse traditur[1]. Servatoris enim assecla quo vehementius lectores suos polytheismum ut vitent admonet (1 Jo. V, 21), eo minus dualismi commenta fovisse videtur.

Sin nihil aliud docere voluit nisi rerum naturam Deum Verbo manifestatum effectorem habere, inde sequitur, interpretationem Luthero nostro probatam: *und Gott war das Wort*, licet a verbis Joanneis discrepet, re tamen nihilominus cum auctoris sacri mente ac sententia congruere. Namque monotheismi studiosissimus quisque si alterum pro certo habet, Verbum esse verum Deum, et alterum concedat necesse est, Deum (*τὸν θεόν, τὸν μόνον ἀληθινὸν θεόν*) esse Verbum sive, quod recentiores Germanorum philosophi recte reddidere, « *der Ausgesprochene*, *Offenbare* ».

[1] Inter Verbum et Demiurgum hoc maxime interest, quod Verbum, ut instrumentum Dei æternum, ad ipsam Dei naturam necessario pertinet, Demiurgus vero certo tempore ex summo Numine genitus esse videtur.

Omnino scriptores Judaici, utpote acres monotheismi fautores, *λόγον* re vera *θεὸν δεύτερον* esse finxisse parum probabile est. Neque Philo ipse, licet a Deo invisibili Verbum sive efficaciam divinam cogitatione discernat, unquam *τῷ λόγῳ* tribuit *οὐσίαν*, *φύσιν* sive *ὑποστάσιν* aut vitam quandam individuam a summo Numine prorsus separatam (vid. Philo *de Monarchia*, l. I, p. 815, ed. Paris. : *Εἷς δημιουργός, εἷς καὶ κτίστης καὶ ποιητὴς τῶν ὅλων* — ; *de somniis*, p. 599 : *Ὁ μὲν ἀληθείᾳ θεὸς εἷς ἐστιν · οἱ δ᾽ ἐν καταχρήσει γενόμενοι πλείους*. cf. Jo. X, 34-36. XVII, 3. 1 Cor. VIII, 5-6, vid. Niedner, *de subsistentia λόγου Philonei*). Nec magis Proverbiorum et librorum apocryphorum scriptores suis descriptionibus plures esse in Deo personas docuerunt. Quemadmodum enim Joannes *τὸν λόγον κοσμοποιὸν* inducit, sic etiam libri Proverbiorum auctor mundi fabricationem sapientiæ divinæ tribuit (Prov. III, 19), tantumque abest, ut secundam quandam personam eandemque a summo Numine distinctam significet, ut nil aliud spectet nisi poeticis hanc sententiam verbis enunciare : mundum neque causam fortuitam neque naturam quandam *naturantem*, sed Deum sapientissimum auctorem habere. Sin constat, hunc potissimum Veteris Testamenti locum in versu tertio conscribendo respexisse Joannem : ergo ne Joannes quidem *ἐνδιάθετον λόγον* tanquam personam alteram a persona divina principali divellere voluit ac distrahere. Mirum itaque videtur quo pacto illic sapientiam non esse substantiam, hic Verbum per se subsistere contendant, nec videant, illos utriusque Testamenti locos ita reciprocari, ut, quod in alterum, idem et in alterum necessario cadat.

De reliquo, Joannem, ut qui utrumque exhibeat, decretum scilicet de natura Servatoris theologicum et veram Jesu Nazareni historiam, omnibus locis sibi constare non contendam. Sed, ne illo quidem concesso, scriptorem nostrum in eo delirare concedam, quod Christum Servatorem modo ut Dei speciem *ἀνυποστάτον*, modo ut Deum per se subsistentem inducere videtur: siquidem eadem ratione omnino quicquid in aliqua substantia est neque per se subsistit, nihilominus cogitatione a substantia illa discerni potest. Sin sententiæ nostræ omnino favere videtur Christologiæ Joanneæ ratio, non est quod, veterum theologorum more, locos excitemus singulos et agitemus et quasi venemur.

Verbo enim Joanneo nullam aliam inesse substantiam nisi Deum, hoc ex toto Evangelii argumento, præsertim e locis apparet nonnullis, quos, si interpretatio nostra non probatur, theologi exegeticis rationalismi præceptis imbuti jure meritoque in suas partes deduxerunt. E pluribus autem hæc attulisse sufficiat: Ev. V, 30. VII, 16. VIII, 16, 28, 50. VIII, 54. IX, 4. X, 15. X, 25. XII, 44, 49. XIV, 10-11, 24. cf. XVI, 23-26. Ex quibus omnibus effici cogique potest : Jesum Joanneum non esse Christum neque omnino certam naturam ac definitam, nisi quia et quatenus Pater in Filio perque Filium operetur; *itaque* nil aliud esse Servatorem quam Jehovæ quasi repræsentationem sive adumbrationem (cf. Heb. I, 3); Deum *autem* quasi Jesu substantiam esse; qua cogitatione sublata, nil nisi vanam imaginem remanere; Christum *igitur*, si naturam ejus a natura divina divellere coneris, neque in eo alium quam merum hominem agnoscas, plane nihil esse nisi meram vocem; si vero Filius Paterque unus idemque Deus,

naturam esse Christum *realem* et omnium quidem *realissimam*.

Haud dissimili ratione de θεανθρώπου natura generatim atque universe philosophatus est Marheinekius (*Syst. dogm.*), hisce verbis usus: «*Gott ist der persönliche Kern seines Wesens, das allein in ihm Wirkende und somit Wirkliche, das allein Reale in seiner Erscheinung. Die menschliche Natur des Gottmenschen erscheint blos als Organ des Vaters. Er hat so zu sagen keine Individualität. Er ist blos die selbstlose Erscheinung Gottes, das Medium wodurch Gott auf Erden wirkt. Sein Selbst hat nur in sofern Realität als es auf Gott zurückgeführt wird. Als ein wesentlich Anderes als Gott betrachtet, ist es blose Tæuschung, bloser Schein, existirt es gar nicht.*» Qualem vero de homine ideali sibi finxit Hegelii discipulus, talem fere notionem adhibendam puto in Christi Joannei natura bene definienda : nisi forte rectius judicant, qui Joannem in eo utique a se ipso dissentire perhibent, quod, quem in prologo ad astra quasi extulit, eum alibi nonnisi hominibus Deo subjectis adnumerat.

Tria igitur adhuc enotavimus eademque certissima deitatis Jesu indicia : *præexsistentiam* æternam, Dei nomen, creandique munus Verbo tributa. Huc accedit (vv. 4, 5, 9), quod ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν, καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων· καὶ τὸ φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνει, καὶ ἡ σκοτία αὐτὸ οὐ κατέλαβεν. Ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον. Haud secus Veteris Testamenti scriptores de Deo lumine mundi (Ps. IV, 7. XXVII, 1. XXXVI, 16. XLIII, 3. XLIV, 4. CIV, 2. CXIX, 105. Jes. II, 5. LX, 90). Theologum vero nostrum et ipsum, de Verbo loquentem,

hoc de Jehova intelligi voluisse, *cum* ex verbis *πάντα ἄνθρωπον* (v. 9), *tum* præsertim e dicto de creatione per Verbum effecta v. 10 iterato perspicuum est.

Non est cur verba faciam in v. 5, ubi dubium est utrum de illuminatione mundi per Verbum *universali* an de *speciali* per Christum hominem factum agatur. Alteram autem (de illuminatione universali) interpretationem quominus defendam impedimento est *καί* conjunctio, quæ progredi actionem simul et sermonem significare videtur. Sed non pugno.

Major enim superest quæstio, eademque ad hoc, de quo disputatur, multo magis referenda : num vv. 10 et 11 eadem an diversa significent? Non possum equidem quin discrimen statuam et retineam inter *τὸν κόσμον* (v. 10) et *τὰ ἴδια* (v. 11), quod qui negligunt (Kuinœl, cæteri) in orationis redundantiam induci mihi videntur molestissimam. Quocirca, præeuntibus Erasmo, Beza, Calvino, Bengelio, aliis, vere hoc de loco judicavit de Wettius in *Comment. zu Joh. Ev. et Epist.* (p. 15), unde hæc excerpere juvat : « *Εἰς τὰ ἴδια ἦλθε ist noch bestimmter als das Vorige, theils vermöge des verbi, welches das wirkliche Auftreten bezeichnet, theils vermöge des εἰς τὰ ἴδια, in sein Eigenthum, das Seine* (= אל־ביתי *LXX Esth. 5, 10. Joseph. Antt. VIII, 15. 4 Joh. XVI, 32. XIX, 27. h. aber allgemeiner), welches nicht die Welt, sondern das jüdische Volk ist, in welchem die Weisheit (= Logos) ihren Sitz genommen hatte, Jes. Sir. 24, 7 ff.; denn so nur findet ein richtiges Fortschreiten statt und schliesst sich V. 12, welcher im Gegensatze mit καὶ οἱ ἴδιοι κτλ. den glücklichen Erfolg der Wirksamkeit des erschienenen Logos angibt, richtig an. Der Gedanke, dass*

das jüdische Volk das Eigenthum des erschienenen Logos war, ist nicht so zu fassen, dass J. ein Jude war, (denn von J. Persönlichkeit ist noch nicht so bestimmt die Rede), sondern so, dass derselbe Logos, der sich schon früher den Juden geoffenbaret hatte, sich aufs neue und zwar in nationaler Weise offenbarte, wesswegen sie ihn um so eher hätten annehmen sollen.»

Ille vero qui *tum* in mundum a se creatum, *tum* peculiariter ad populum suum Israel venisse aperte traditur, num alius quispiam esse potest nisi Jehova, Judæorum Deus et rex æternus? præsertim cui versu jam primo deitas tertioque creandi munus adscripta sint. Jehova enim quamvis universi generis humani creator ac moderator, tamen, angustiore significatu, nonnisi populi Judaici Deus esse putabatur, utpote qui tantummodo Judæis innotuerit. Ideo sexcenties tanquam gentis seu familiæ sibi dilectissimæ servator et liberator, et redemptor et pastor et rex æternus, et pater et lumen beneficentissimum idemque mox oriturum commemoratur (cf. Jes. LII, 9. LIV, 5-8. LXIII, 8-9. LXIV, 1 cæterosque locos supra laudatos, ex quibus omnibus *tum* universam Joannis de Servatore doctrinam, *tum* imprimis locum illum Ev. I, 11 recte jureque illustrari nemo non fatebitur).

V. 14. *Ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο κτλ.* « Logos autem ille — qui erat in principio, qui ipse Deus naturam rerum ita condiderat, ut vita foret et lux mundi — caro factus est et inter nos versabatur (cujus nos spectavimus majestatem talem qualis est unici Dei filii) plenus benignitatis ac veritatis. » Scilicet his verbis a statu Servatoris divino sive *absoluto* ad conditionem humanam ita fit transitus, ut, qui ineunte adhuc versu *Logos* appella-

tus est, is neque medio jam versu, neque usquam postea eodem quo in prologo nomine insigniatur. Ideo, qui ϑεὸς erat (v. 1) is inde ab induta hominis specie, *Filius Dei* dicitur: magnum sane nec adhuc satis explorate perceptum orationis discrimen, ex quo, quid differentiæ inter Deum carnem factum et inter Deum immutabilem intercedat, facile cognoscas, simul et videas, Verbi cum Deo conjunctionem, quam inde a mundo condito intermisisse non nemo statuit, tunc demum reipsa in contrarium mutari. Repugnat igitur non solum Arii de *creatura præexsistenti* commentum, verum etiam Athanasii formula.

At vero fac ita esse, ut de natura quadam ex omni æternitate a summo Numine distincta reapse agatur! Qui tandem Joannes in prologo *Filii* verbum quasi de industria defugerit, donec Logos, humana specie demum assumta, re vera Dei filius factus fuerit? Neque video quidnam tandem Evangelistam, si tanti momenti doctrinam tradere vere intenderet, impedire potuerit, quominus a primo inde exordio iisdem quibus ubicumque præterea verbis uteretur, diceretque: *Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ υἱὸς τοῦ ϑεοῦ, καὶ ὁ υἱὸς κτλ.* Atqui Servator non modo non *Filius*, immo ne ϑεοῦ quidem λόγος — sed simpliciter ὁ λόγος eo videlicet consilio nominatur, ne dependentiæ subeat quantulæcumque suspicio. Sin ante Christum natum in Evangelio nostro neque Deus ὁ πατήρ, neque Servator ὁ υἱὸς appellatur: nonne recte jureque concludendum est: antea, quam Verbum Jesu Nazareni speciem indueret, neutiquam fuisse in cœlo *et* Deum Patrem *et* Deum Filium, sed unum Deum e se genitum, seipsum gignentem.

Verum enimvero, Verbo homine facto, tunc demum

discrimen quoddam inter Deum occultum et Deum manifestatum specie quidem intercedere in promtu est: nam alter exinde *Pater*, alter *Filius* appellatur. Sin illo de discrimine quæritur an in ipsa essentia divina exstitisse putandum sit, hoc pluribus de causis in medio relinquemus. *Ac primum incarnatio* Domini (sic enim Ecclesiæ catholicæ rem enunciare placuit), quæ Paulo Apostolo *κένωσις* fuisse videbatur, ab Evangelista nostro ita describitur, ut gloriæ potius majestatisque divinæ fuerit revelatio (Ev. I, 14. III, 31: *ὁ ἄνωθεν ἐρχόμενος ἐπάνω πάντων ἐστίν· ὁ ὢν ἐκ τῆς γῆς ἐκ τῆς γῆς ἐστὶ καὶ ἐκ τῆς γῆς λαλεῖ. Ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἐρχόμενος ἐπάνω πάντων ἐστί*[1]). *Deinde* Verbum, licet a Patre exierit (*ἐξῆλθον ἀπὸ — παρὰ τοῦ πατρός* XVI, 27, 30), nihilominus adhuc in Patris sinu est, necnon Pater in Filio tanquam ejus substantia, materia, principium inest (*ὁ δὲ πατὴρ ὁ ἐν ἐμοὶ μένων αὐτὸς ποιεῖ τὰ ἔργα* XIV, 10. *Ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν* X, 30. *Ἐν ἐμοὶ ὁ πατὴρ κἀγὼ ἐν αὐτῷ* X, 38[2]). Nulla *denique* facta est in essentia Verbi mutatio. De quo deitas prædicata est (I, 1), adhuc ille Deus, adhuc ille Jehova. Adeo enim cum Patre Servator est conjunctus, ut, ne carne quidem intercedente, suæ deitatis conscius esse desinat (*πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι ἐγώ εἰμι* VIII, 58, ubi præclarum illud, quod supra laudavi [p. 52], Bengelii dictum mirum in modum confirmatur). Ideo cæcus ille *προσεκύνησεν αὐτῷ* (IX, 38), qui via est et veritas

[1] Quominus huc locos Ev. I, 18 et III, 13 referam, impedimento est quod ὢν positum est pro ἦν, ut nonnulli recte monuerunt.

[2] V. XVII, 11 (οὐκέτι εἰμὶ ἐν τῷ κόσμῳ) t. præsens pro futuro positum esse negari vix potest. Quocirca locum illum ad id, quod volui, probandum nullius esse momenti puto.

et vita (XIV, 6) et lumen *φωτίζον πάντα ἄνθρωπον, ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον* (I, 9). Itaque lumini (Christo) fidem adhibere debemus, *ἵνα υἱοὶ φωτὸς γενώμεθα* (XII, 36). Sin *λόγου* filii fieri debent ejus discipuli, Deum esse Verbum perspicuum est.

Quæcumqne vero Dominus adhuc velato quodam modo sermone (*παροιμίαις*, XVI, 25) dixerat, hæc inter cœnam ultimam lucidiora tandem pronunciavit. Quamvis enim jam antea (XII, 45) profiteri haud dubitasset, Patrem cœlestem vidisse qui Filium viderit, necnon apertissima de conjunctione sua cum Patre ac necessitudine plane singulari verba fecisset, nequaquam tamen ab audientibus percepta fuisse videtur Magistri doctrina (cf. VI, 60). Etsi Nazarenum Prophetam habebant sapientissimum, atque adeo pro filio Dei venerabantur (XI, 27 cf. Matth. XVI, 16), longe tamen aberant ut cognomini, quod regi Messiano tribui solebat, notionem *metaphysicam* subjicerent. Quidnam suis dictis Jesus ipse vellet intelligi, ne conjectura quidem suspicabantur, adeoque ignorabant, ut Philippus Apostolus paullo ante Jesu necem ab eo postulaverit, ut Patrem ostenderet, atque ita suo Magistro de divina Servatoris origine libere profitendi occasionem præbuerit (XIV, 8-9): *Ὁ ἑωρακὼς ἐμέ*, inquit Jesus, *ἑώρακε τὸν πατέρα.* Scilicet « omnino quicquid de Deo cerni potest in persona mea conspicuum cernitis. Sum enim Dei species ac splendor sive ea Dei natura, quæ sensibus percipi potest, ideoque, fateor, essentiæ divinæ infinitæ nullisque neque spatii neque temporis limitibus obstrictæ quasi contrarium. At vero facies Dei quid aliud est nisi ipse Deus? Sin communis est mihi cum Deo eadem essentia vitaque, nonne ipse Deus sum? Quæ cum ita sint,

discipuli, qui Messiam vident, *ἀπάρτι γινώσκουσι τὸν πατέρα καὶ ἑωράκασιν αὐτόν* (XIV, 7) ».

Quoniam vero ne tunc quidem discipuli Magistri verba penitus intellexisse videantur, idcirco Jesus Spiritum Consolatorem adfore pro certo pollicetur et confirmat (XIV, 16. 18. XX, 26. XVI, 13), qui, ipso mortuo, magnum illud vel inter omnia maximum (*ὁμολογουμένως μέγα* 1 Tim. III, 16) de Deo carne facto *μυστήριον* (*θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί, ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι, ὤφθη ἀγγέλοις, ἐκηρύχθη ἐν ἔθνεσιν, ἐπιστεύθη ἐν κόσμῳ, ἀνελήφθη ἐν δόξῃ*), demum patefacturus sit.

Ceterum, ut exstant nonnulla Jesu Joannei verba conciliatu difficillima, ita sermo ille postremus, forma saltem atque indole singulari, a superioribus haud parum distare videtur: imprimis dico sacerdotalem, quam vocant, orationem. *Namque* Jesus etiamsi de conjunctione sua cum Deo atque consuetudine plane singulari haud raro docuisset, nihilominus tamen de Deo Patre, quasi de altera a se distincta longeque superiore persona, quam potuerat modestissime locutus erat atque humillime. Jam vero magna facta est in sermone Domini commutatio : illic videlicet Prophetæ, hic ipsius Jehovæ partes sumere haud dubitat; illic homo virtutibus divinis instructus, hic ipse Deus induci videtur. Jubentur quidem Apostoli, Christi nomine Deo preces adhibere, quin ipse Jesus ad Deum precatur. Hoc erat quod jactabant rationalis, quæ vulgo dicitur, enarrationis fautores, neque, tanquam humanitatis Jesu Joannei notam certissimam, credebant posse dissolvi. At quam festive dissolvitur hisce verbis : *ἐγὼ ποιήσω* (XIV, 13-14) ! *Porro* Dominus, quamvis hominum more Spiritus Sancti dotes pro discipulis exposcat, rem tamen

adeo certam habet exploratamque, ut pergat: *καὶ ἄλλον παράκλητον δώσει ὑμῖν*, id quod eodem redit ac si dixerit: *ἐγὼ δώσω ὑμῖν τὸ ἅγιον πνεῦμα*. Quod ne dubitare possimus argumento est vel maximo l. XV, 26: *ὁ παράκλητος ὃν ἐγὼ πέμψω*. *Proinde* Christus est cui preces adhibendæ sunt (XVI, 26). Dominus autem licet precationem faciat (cap. XVII), reipsa tamen ut Deus ipse secum loquitur, adeoque precans cum precando non dico conjunctus, sed unus est, qui, dum flagitare debet, *θέλω* formulam usurpet. Unde perspicuum est, Servatorem Joanneum haud secus precatione uti, ac si Deus apud Veteris Testamenti scriptores per Jehovam quasi per alterum eundemque superiorem Deum jurare, sive omnino sermone semet a se distinguere solebat (cf. Hos. I, 7: et servabo eos per Jehovam i. e. per me ego eos servabo). *Accedit*, quod in Evangelio nostro *tum* precationes nonnullæ synopticis libris mandatæ, *tum* imprimis Gethsemaneæ ne minima quidem nota commemorantur. *Itaque*, ubi synoptica narratio naturam Servatoris humanam quam manifestissime revelat, ibidem Joannes sui Domini quasi statuam retegere videtur. Quæ species humana adhuc divinitatem Jesu quasi velabat involvebatque, ea tunc tandem adeo evanescit, ut omnis Dei gloria vel ipse Deus in stupentium discipulorum conspectum cadat. Qui reipsa Deus esse haud desiverat, eum nunc et ab exteriore parte in Patris æterni speciem transfigurari videmus (*καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ*). *Ideo* quod in prologo erat propositum, procedenteque libro demonstrandum, hoc pridie demum, quam excedat e vita Dominus, eventu comprobatur: *θεὸς ὁ λόγος*.

Quæ de Christo Jesu sententia primo jam primi ca-

pitis versu significata, quamvis ut *ὁμολογουμένως μέγα μυστήριον* occulto quodam sermone per librum Joanneum pertineat permanetque, passim tamen satis evidens elucet. Quin et « prope adest quum Dominus per Spiritum Sanctum de suo Patre deque seipso non *παροιμίαις* modo, sed aperte loquetur », dicens : *ἐγώ εἰμι ὁ λόγος, καὶ θεός ἐστιν ὁ λόγος*. Huc fortasse referenda sunt ista *πολλὰ*, quæ discipulis adhuc dicenda habet, sed a discipulis nondum capi possunt (XVI, 12), qui præconceptis de regno Messiano opinionibus adhuc indulgeant (Luc. XXIV, 21), nec nisi postea decretum illud de vera Jesu deitate simpliciter accepturi sint (Jo. XX, 28).

Nec profecto sine causa tacetur conceptionis Jesu in utero Mariæ historia, quippe quæ cum Joanneo de *præexsistentia* Christi decreto parum convenire videtur. *Ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο*. Nihil amplius. Quoniam autem Servator apud Joannem ipse Deus est (I, 1), qui, antequam hominis speciem indueret, ab omni æternitate in cœlo habitabat, nil mirum, quod non solum pater terrenus, qualem ne synoptici quidem libri conceptioni Jesu interfuisse tradiderant, verum etiam mater Christi mortalis in hac saltem libri parte silentio prætermittitur. Omnino Jesum apud Joannem Mariam non veneratione ut matrem, sed imperatorie potius tanquam creaturam suam imbecillem tractavisse, quis est quin fateatur[1] ?

[1] Haud spernendo, ut opinor, documento est, quod Jesus Mariam ne matrem quidem, sed γύναι appellare solet. Unde consequi videtur, Servatori Joanneo cum matre terrena nihil prorsus conjunctum cognatumque fuisse. Hoc est quod, præter alia multa, tanquam recentioris ætatis documentum, *Tubingenses*, qui dicuntur, jactare solent, quandoquidem haud secus Valentiniani de Christi matre opinati sunt.

Porro qua de causa Servatoris ortus ex Maria virgine, eadem etiam discessus ejus ad Deum uberior desideratur narratio. Clam vitam intravit, clam egreditur: unde (quantumvis repugnent loci historici Ev. XI, 35. XII, 27 cæteri) nescio an Joannes intelligi voluerit, nihil prorsus mortale in Christum cadere. Qualem enim synoptici referant Christi sublationem in cœlum, talem vix poterat ad suam de Servatore doctrinam peculiarem ac disciplinam accommodare: præsertim cum Dominum « se a Patre nequaquam discessisse » toties tamque aperte profitentem induxisset (X, 30. XIV, 10, passim). Hæc inter se quam repugnent, quis non videt?

Discipulos vero utique non dereliquit Dominus. Sublata enim terrena Christi specie, remanet *τὸ ἅγιον πνεῦμα* sive ea Dei invisibilis essentia (IV, 24), quæ carne Jesu Nazareni quasi involucro vel tegumine utebatur (XIV, 26-27). Quare Spiritus venire non potuit nisi prius interficeretur caro, Dei Servatoris i. e. Spiritus tegumentum (VI, 51. XVI, 7, ubi disertissime planissimeque significatur, quænam vera fuerit et propria mortis Jesu vis atque efficientia).

Christus autem si Joanni nullus alius est nisi Deus æternus sub specie filii hominis conspicuus, neque aliud Deus nisi *πνεῦμα* (IV, 24), nonne *πνεῦμα ἅγιον* sive Consolator ipse Filius esse videtur, qui, sublata carne, in æterni Patris i. e. Spiritus (IV, 24) figuram reciderit? Itaque specie quidem alius Filius, alius Spiritus (XIV, 16), re vera tamen unus Deus Servator idemque Consolator (*ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς* XIV, 18. cf. Jes. XL, 1. LI, 3, 12. LVI, 13. Jer. XXXI, 13. Zach. I, 17 cf. Job. XV, 11. Ps. XCIV, 19) Porro Servatorem et Consolatorem unum esse Deum individuumque Numen exinde per-

spicuum est, quod loco XIV, 23 (*ὁ πατήρ μου ἀγαπήσει αὐτόν, καὶ πρὸς αὐτὸν ἐλευσόμεθα καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν*), si minus verbis, sententia tamen congruunt vv. XIV, 16-17 (= Matth. XXVIII, 20). Jo. XIV, 20. XV, 4 (*μείνατε ἐν ἐμοί, ΚΑΓΩ ΕΝ ΥΜΙΝ*) XVI, 13. 1 Jo. II, 17 = II, 28. III, 6 = III, 9. III, 17. III, 24. (*ἐν τούτῳ γινώσκομεν ὅτι μένει ἐν ἡμῖν, ἐκ τοῦ πνεύματος οὗ ἡμῖν ἔδωκεν*) IV, 12 cf. IV, 15-16. 2 Jo. 3. Quibus locis et Veteris Testamenti placitis supra laudatis inter sese comparatis, ita Consolatorem definire velim, ut eum dicam : Jehovam esse, quatenus, e fragili caducaque Jesu carne quasi egressus, sedem ac domicilium in animis discipulorum immortalibus constituerit, ut eos in filios Dei transfiguraret (Ev. I, 12) et ad effigiem Unigeniti (1 Ep. III, 2) renovaret (Ev. III, 3-8): nisi forte vv. XIV, 16 et XIV, 23 de tribus diis immortalibus in animo cujuslibet discipuli domicilium simul collocaturis agitur: quod quo pacto theologus monotheismi Christiani præceptis imbutus excogitaverit, scire sane velim.

* * *

Si ex hisce omnibus quæ breviter exposuimus cogendum esset et certa quadam ratione concludendum, quisnam fuerit Jesus Nazarenus, quibusque natura ejus divina momentis contineatur, difficili sane negotio nobis esset fungendum : etenim præterquam quod in ipso Evangelio quarto multa inter se discrepare admodum, multa male consuta esse videntur, nescio equidem quo jure contenderis, Joannem, in describenda Jesu origine ac vita, cum Evangelistis synopticis om-

nino conspirare. Sed hanc operam difficiliorem iis relinquam, qui speciatim de disciplinis agunt dogmaticis. Ne id quidem in animo erat, quod a nonnullis interpretibus recentioribus scite ac strenue institutum est, nempe ut delectum facerem eorum, quæ forte Joannes de Jesu dixerit, et eorum, quæ re vera a Jesu dicta tradiderit: neque enim inest dictis illis certa quædam dignoscendi nota, neque in istis deligendis ab omni opinione præjudicata prorsus intacti ac liberi esse videntur theologi. Sepositis itaque illis omnibus, hoc unum spectavi, ut Joannis peculiarem de Jesu Nazareno sententiam ac notionem theologicam quam accuratissime enodarem certisque conclusionibus complecterer.

Quibus præmissis, hæc fere sistere ausim:

I. Joannem, *tum θεοφανείαις* in libris Veteris Testamenti commemoratis, *tum* oraculis de Deo Servatore (Jes. XLIII, 11. Hos. XIII, 4. al.) et Consolatore (Jes. LI, 3. 12. LVI, 13. al.) *proprie* acceptis adductum, re vera eo spectasse, ut Jesum Nazarenum tanquam Deum *ἔνσαρκον* induceret;

II. Quem ad finem Jesu discipulum (abhorrebat enim a commento *pantheistico* de *manifestatione* Dei *immediata*, neque ad eam opinionem adduci poterat, ut crederet, unquam cœlum quasi vacuum fuisse) sacrosanctam de Deo per Verbum suum patefaciendo doctrinam, a philosophis variis exornatam modis, in Jesum Nazarenum transtulisse;

III. *Ἐνσαρκώσεως* notionem eundem Evangelistam ita informasse, ut putaret, essentiam Dei (*τὸν θεόν*) et ejus Verbum (*τὸν λόγον*), ab æterno arctissimo inter sese conjuncta vinculo, tunc demum in duo *πρόσωπα* a se invicem diversa quasi digressa esse, quorum alterum

in cœlo remansisset, alterum in terris versatum esset;

IV. Quod theologi Servatorem Joanneum definierint personam divinam secundam e principali quasi genitam, hoc recte quidem de Verbo semel homine facto dici posse, sed nullo pacto pertinere ad λόγον ἐνδιάθετον;

V. Quamobrem *Filii* nomen nonnisi Verbo ἐνσάρκῳ recte adscriptum esse (nullius *generationis æternæ* mentio fit, neque Servator, versibus locum Ev. I, 14 præcedentibus, *Filius* nominatur);

VI. Quo facilius *denique* disciplina illa e Veteris Testamenti decretis explanari possit, eo propius ad veri similitudinem eorum opinationem accedere, qui Evangelium nostrum ad ipsum Apostolum Jesu dilectissimum, sive (quod mallem) ad Apostoli discipulum referant.

Vidit examinis instituendi Præses.
EDU. REUSS.

Permis d'imprimer.
Strasbourg, le 18 février 1860.
Le Recteur, DELCASSO.